

LA VALIDITE DES ORDINATIONS ANGLICANES

LES DOCUMENTS
DE LA COMMISSION PRÉPARATOIRE
À LA LETTRE «APOSTOLICAE
CURAE»

Tome I *Les dossiers
précédents*

Introduction, transcription et notes par
ANDRE F. VON GUNTEN, OP

avec la collaboration de
Mgr Alejandro Cifres



FIRENZE LEO S.
OLSCHKI EDITORE
MCMXCVII

LA RELATION 'FRANZELIN' (1875)

La relation de Franzelin fait partie d'un dossier qui réunit des pièces relatives à un cas soulevé par S.E. Manning, archevêque de Westminster. Jean-Baptiste Franzelin examine la validité des ordinations anglicanes. Il s'agit de la dernière étude sur ce problème rédigée par le Saint-Office, avant les travaux de la Commission théologique.

SUPREMA SACRA CONGREGATIO
S. O F F I C I I

*De decreto S. Congregationis circa formam sacrae Ordinationis
in ritu Coptico
eiusdemque decreti relatione ad praetensos Ordines in
secta Anglicana*

VOIUM

P. IOANNIS BAPTISTAE FRANZELIN S.I.¹

CONSULTORIS

MARZO

1875

¹ **Jean Baptiste Franzelin, S. J.**, (1816-1886). Consulteur du Saint Office, puis cardinal (1876). Cf. HC vIII, 21.

Em.mi Principes

Postulatur ab illustrissime» Archiepiscopo Westmonasteriensi² authentica interpretatio decreti cuiusdam, quod ab hac Suprema Congregatione anno 1704 editum profertur (in Summ. n. III), de forma ordinationis presbyteri. Quaestio itaque per se et directe hermeneutica est; verum pro statu controversiae ex hoc decreto ab Anglicanis acrius excitatae, illa proponitur in intima connexionione cum quaestione altéra de valore ordinum Anglicanorum, quatenus nimirum in eis materia et forma spectatur; ac propterea declaratio sensus istius decreti ab Archiepiscopo dicitur esse magni momenti. Equidem censeo, hanc litem etiam a privatis theologis peremptorie finiri potuisse. Neque vero interpretatio *scientifica* decretorum S.C. prohibita existimanda est; secus enim ea fere inutilia redderentur, et quod dixit Suarez (de Censur. disp. 23, sect. 7, 8^o)³ de interpretatione Concilii Tridentini, «theologica doctrina vix tradi posset», si privatis theologis omnis expheatio esset interdicta. Quoniam tamen mihi ab 111.mo Assessore⁴ mandatum est, ut de re proposita scribam aliquid, ea qua potero diligentia, obsequar imperatis. Pro ipso statu praesentis causae, ut ab Ill.mo Westmonasteriensi explicata est, distribuam hanc qualemcumque meam disquisitionem in duas partes. In priori dicam brevissime de ipsis ordinibus Anglicanis eorumque inanitate, quoniam (ut paulo ante indicavi) ad hanc quaestionem refertur et ex hac quaestione ortum habuit controversia, de qua directe agitur. In parte altéra examinabo hanc ipsam controversiam directam, dicamque tum de facto tum de iure, de existentia videlicet et de sensu decreti, quod ab Anglicanis praetenditur.

/4/

Caput I.

1. Omnes Catholici consentiunt, et sin minus explicita definitione, certe universali praxi Ecclesiae non amplius in dubium vocanda plene constat, ordines sacros penes Anglicanos haereticos invalide con-

² Henry Edward Manning (1808-1892). Archevêque de Westminster (1865) et cardinal (1875). Cf. HC vIII, 20, 598.

³ Cf. *Disputationum de censuris in comuni*, Disp. 23, sect. 7, n. 12: Lyon 1615², p. 426 a.

⁴ Lorenzo Nina (1812-1885). Assesseur du Saint-Office (1868), puis cardinal (1877). Cf. HC vIII, 22.

ferri; adeoque non solum illegitimos, ut in sectis orientalibus et in Janseniana⁵ ac Reinkensiana,⁶ sed omnino *nullos* initiari diaconos, presbyteros, episcopos Anglicanorum. Verum non eadem est inter catholicos theologos consensio in explicanda ratione, ex qua praetensae istae ordinationes et consecrationes sint invalidae. Vetustiores urgere solebant très raisons, quarum alii magis uni, alii magis alteri insistebant. Demonstrare videlicet conabantur, a) Guilelmum Barlow⁷ consecratorem Matthaei Parker,⁸ ex quo tota illa commentitia hierarchia originem trahit, hominem Zwinglianum aut Calvinianum nullo umquam ritu sive Romano sive Anglicano suscepisse consecrationem episcopalem, sed fuisse simplicem presbyterum apostatam; b) ipsam initiationem Parkeri ne ritu quidem Anglicano, sed solo decreto Elisabethae⁹ reginae ex principiis Calvinianis, et ludicra quadam cerimonia in hospitio Londinensi *ad caput equinum* (Nags-head) peractam fuisse; c) ipsam formam Anglicanam ordinationis inductam sub Eduardo VI¹⁰ et restitutam ab Elisabetha, si Parkerum per eam initiatum fuisse evinci posset, omnino esse invalidam.

2. De hac re " exquirendo documenta et sententias theologorum Italiae, Galliae, Belgii, Angliae, comparando etiam formam ordinationis Anglicanae cum formis orientalibus Maronitarum, Jacobitarum, Nestorianorum, Axmenorum diu multumque actum est in Suprema annis 1684-1685 sub Innocentio XI occasione Calviniani cuiusdam

⁵ L'Église janséniste d'Utrecht. Cf. art. *Utrecht (Eglise A')* (J. CARREYRE), DTC xv, 1946, 2390-2446. L'Église d'Utrecht s'est séparée de Rome au début du xviii siècle. Corneille Steenoven, ordonné évêque, fut excommunié par Benoît XIII, le 21 février 1725. Le pape déclara nulle l'élection de ce prêtre, et son ordination à l'épiscopat illicite et détestable: Bref *Qui sollicitudine*, dans *Bullarium Romanum* xi, 375 s.

⁶ Joseph Hubert Reinkens, né à Baratte près d'Aix-la-Chapelle, ordonné prêtre en 1841, professeur à l'université de Breslau. À l'époque du concile de Vatican I il entra dans l'opposition. Sacré évêque par H. Heykamp de Deventer (11 août 1873). On retient que la cérémonie se passa selon le rite reçu par l'Église et prescrit par le Pontifical Romain. Pie IX, le 21 novembre 1873, réprouva cette ordination, mais il ne la déclara pas invalide ou nulle: Cf. *Pii IX P.M. Acta*, P. i, vol. vi, Rome s.d., p. 269. Les formules employées par les japes pour condamner les cérémonies du sacre d'évêques, dans l'Église d'Utrecht, dans l'Église Vieille-Catholique d'Allemagne, et plus tard, de Suisse, sont presque toutes identiques. On n'y trouve pas les termes, invalide ou nulle.

⁷ William Barlow (+1569). Ministre principal de l'ordination épiscopale de Matthew Parker.

⁸ Matthew Parker (1504-1575) archevêque de Cantorbéry, sous la reine Elisabeth.

⁹ Reine d'Angleterre de 1558 à 1603.

¹⁰ Roi d'Angleterre de 1547 à 1553.

¹ Les numéros 2, 3, 4 de la présente relation se réfèrent au dossier 'Gordon'.

Galli, qui transitu facto ad Anglicanos et Londini promotus ad presbyteratum istius sectae, postmodum vero conversus ad fidem catholicam postulabat, ordinationem istam Anglicam declarari irritam, sibi que ut homini nimirum laico potestatem fieri légitimas nuptias ineundi. Theologi consulta in unam omnes conspirabant sententiam, ordines Anglicanorum esse nullos; sed de rationibus invaliditatis non idem erat consensus, ut patet ex eorum scriptis, in quibus ex Archivio mihi subministratis multa legi scitu digna. Consultores etiam Supremae Feria H, die 13 Augusti 1685 «unanimitè responderunt pro invaliditate praedictae ordinationis». ^u At Em.mi die 21 eiusdem mensis respon/5/derunt: «Dilata». ¹³ Notatur vero in Actis pro alia causa posteriore: «dubium non videtur fuisse resolutum anno 1685». ¹⁴

3. Posterior causa proposita est anno 1704 celebris **illa** Ioannis Clementis Gordon, qui Glasgowiae in Scotia Episcopus Anglicanus cum Iacobo II exule transiit in Galliam. Receptus in sinum matris Ecclesiae Romam venit, ac ipsemet in documento satis erudito probans nullitatem ordinationis Anglicanae, supplicavit ut ad sacros ordines in Ecclesia catholica promoveri posset. ¹⁵ Hac occasione documenta et acta omnia anni 1685 iterum sunt subiecta examini, ac du obus vel tribus novis Votis fuit denuo demonstrata nullitas istarum ordinationum ex rationibus superius indicatis potissimum vero ex insufficientia formae. Tandem nulla facta distinctione aut declaratione de rationibus ipsis, Summus Pontifex pronuntiavit iudicium directe quidem *de facto in casu speciali proposito*, indirecte vero de *iure generali invaliditatis* ordinum Anglicanorum. «Feria v, die 17 Aprilis 1704, SS.mus (Clemens XI) auditis Votis Em.morum Cardinalium, decrevit, quod Ioannes Clemens Gordon ex integro *et absolute* ordinetur ad omnes ordines etiam sacros et praecipue presbyteratus, et quatenus non fuerit confirmatus, prius sacramentum Confirmationis suscipiat». ¹⁶

4. Iam tune temporis anno 1685 et 1704 theologi urgebant maxime defectum *formae* et debitae *significationis* ad conferendam potestatem sacerdotii (Episcopus Castoriensis Vie. Apost. Hollandiae suis **lit**—teris 20 Dec. 1684 et 2 Febr. 1685; ¹⁷ Josephus Franciscus Genetti 16

^d Cf. *supra*, Gordon, N. 30.

^b Cf. *supra*, Gordon, N. 31

^h Cf. *supra*, Gordon, N. 1, note 2.

^f Cf. *supra*, Gordon, N. 32

^s Cf. *supra*, Gordon, N. 50.

^v «20 Dec.»: lire «29 Dec.»: Cf. *supra*, Gordon, NN. 4, 8

April. 1704¹⁸ referens etiam ea, quae eodem sensu placuerant in consultationibus theologorum anno 1685, quarum ipsemet Genettus magna pars fuerat). Recentiores vero inde a tempore Ioannis Lingard¹⁹ (1) huic fere 161 uni rationi insistere soient; et sane ea est efficacissima, dummodo rite expendatur cum omnibus suis adiunctis.

5. Illi Anglicani qui nunc Ritualistae et Puseyistae²⁰ appellati defendunt valorem suorum ordinum, totum statum quaestionis pervertunt. Ipsi enim suam sententiam, qua sacrificium et propterea sacerdotium proprie dictum novi Testamenti cum potestate sacrificandi, atque hinc *ordinationem sacerdotum* sacramentalem et efficacem admittunt, comparant cum *forma ordinationis*, ut ea nunc habetur sub Carolo II²¹ anno 1662 adoptata. Cum iam sibi videantur in hac *forma* reperire collationem *potestatis sacerdotalis* satis expressam, ipsi continuo inferunt, eandem formam esse sufficientem, atque hinc ulterius concludunt, ordines valide conferri in Ecclesia sua Anglicana. Neque enim forma et ritus ordinationis in *individuo* a Christo est determinatus, sed in *specie* dumtaxat, ut nempe per formam ac ritum *collatio potestatis* satis significetur. Quae res ex diversitate formae in Ecclesiis orientalibus fit manifesta.

(1) Lingard in Hist. Angl. T. vu nota Q) vers. Ital. p. 568, confidenter affirmât quidem, historiam de cerimonia in hospio Nags-head esse fabellam conflctam; Parkerum publice die 17 Decembris 1559 ritu inducto sub Eduardo VI fuisse initiatum; ex quatuor initiatoribus Guilelmum Barlow quondam Bathonensem Episcopum, et Ioannem Hodgskin suffraganeum Bedfordensem fuisse consecratos Episcopos ritu Romano sub Henrico VIII, duos alios Ioannem Scorey quondam Chichestresem et Milonem Coverdale quondam Exetrensem initiatos ritu Anglicano sub Eduardo VI.²² Verum si expendantur documenta omnia quae protulit Michael Lequien (Nullité des Ordinations Anglicanes T. i, n),²³ non parum probabilitatis habere videtur opinio eorum, qui Barlowum initiatorem Parkeri numquam consecrationem episcopalem suscepisse asserebant.

¹⁸ Cf. *supra*, Gordon, N. 42.

¹⁹ John Lingard (1771-1851). Historien catholique anglais. Auteur de *The History of England*, Londres 1854-1855⁶. La référence se trouve au vol. vi, p. 328.

²⁰ Edward Bouverie Pusey (1800-1882) s'employa à rétablir l'union de l'église anglicane avec l'Église catholique romaine. Cf. *VNBIndex*, 1076 s.

²¹ Roi d'Angleterre (1660-1685). Ses convictions le portèrent vers le catholicisme.

²² Barlow, Hodgskin, Scorey, Coverdale: Ministres de l'ordination de Parker. Cf. *supra*, Gordon, N. 38, p. 221.

²³ Franzelin semble se référer à *Nullité...*, cit., P. i, c. 9: t, Paris 1725, pp. 468 ss.

At haec argumentatio Anglicana (ut dixi) totum statum quaestionis pervertit. Ut quoad materiam et formam de validitate ordinum Anglicanorum iudicetur, non est quaerendum, quid nunc Ritualistae sentiant, et ante hos inde ab Archiepiscopo praetense Cantuariensi Guilelmo Laudio²⁴ (sub Carolo I) sic dicti *Primitivi* senserint de sacrificio et sacerdotio novi Testamenti et de vi ac significatione *ordinationis*, aut quid forma nunc adhiberi solita posset fortasse significare; sed quaestio est, *cm* et *quomodo* a primis Deformatoribus sub Eduardo VI sicut tota liturgia ita etiam forma ordinationis catholica fuerit essentialiter mutata in alium omnino ritum alterius diversae significationis, et denuo sub Elisabetha cum iisdem mutationibus et ex eisdem principiis restituta. Nam si constat, primam illam mutationem consideratis omnibus adiunctis fuisse essentialem, hoc ipso Parkerus isto ritu novo initiatus anno 1559 non accepit characterem episcopalem ex defectu formae, atque hinc cum tota illa pseudo-hierarchia ab ista radice succreverit, omnes sequentes ordinationes saltem usque ad annum 1662 erant invalidae ex duplici capite, ex defectu potestatis in ordinante et ex defectu formae. Unde porro quantumvis concederetur, formam inductam anno 1662 per se posse esse sufficientem, ordinationes tamen omnes manerent irritae *171* ex defectu potestatis in ordinantibus, quia in tota secta anno 1662 iam a centum annis episcopatus defecerat, nunc ab annis trecentis plane exstinctus est.

6. Iam vero ipsam significationem atque adeo essentialiam ordinationis sub Eduardo VI abolitam fuisse, eique substitutam cerimoniam alterius significationis et nullius valoris, spectatis principiis et adiunctis illius temporis plane evidens est. Opéra potissimum Thomae Cranmer²⁵ pseudo-archiepiscopi Cantuariensis adscitis in Angliam Bucero,²⁶ Petro Martyre (Vermigli),²⁷ Paulo Fagio,²⁸ Ioanne Lasco,²⁹ Angelo Florio³⁰ aliisque Calvinianis dogmata catholica quae sub Henrico VIII re-

²⁴ William Laud (1573-1645). Archevêque de Cantorbéry (1633). Cf. *DNBIndex*, 750.

²⁵ Thomas Cranmer. Cf. *supra*, Gordon, note 29.

²⁶ Martin Bucer ou Butzer (1491-1551). Réformateur protestant de Strasbourg. Cf. *DNBIndex*, 162.

²⁷ Petro Vermigli (1500-1562). Réformateur protestant italien, émigré en Angleterre (1547). Cf. *DNBIndex*, 1338.

²⁸ Paul Fagius (1504-1549). Réformateur protestant allemand, enseigne à Cambridge en 1549. Cf. *DNBIndex*, 414.

²⁹ John Lasco ou Lasko (1496-1560). Réformateur calviniste né en Pologne, se rend à Londres en 1550. Cf. *DNBIndex*, 749.

³⁰ Michelangelo Florio (| 1550). Prédicateur protestant, prêche à Londres en 1550. Cf. *DNBIndex*, 448.

licita fuerant adhuc integra, deformata sunt ad doctrinam Calvinianam. Dogma de reali praesentia substantialis corporis Christi in Eucharistia eliminatum est; sacrificium Eucharistiae velut "blasphemum" (1) abolitur, et sub gravibus poenis celebratio ac auditio Missae interdicta; sacramenta quinque novi Testamenti et inter haec sacramentum Ordinis negata. Consequenter nullum agnoscebatur sacerdotium novi Testamenti nisi illud, quod dicebant spirituale et commune omnibus christianis conferri in baptismo; (2) nulla admittebatur potestas consecrandi vel sacrificandi; nulla vera potestas absolvendi et retinendi peccata; nullum discrimen inter laicos et Clericos, nisi quod a fidelium communitate vel eorum nomine a rege aut regina aliquibus confertur facultas praedicandi verbum Dei ac ministrandi sacramenta baptismi et «coenae Domini», ac nomine et auctoritate régis in officio /8/ et externa disciplina continendi fideles. His continetur etiam ea, quam dicunt potestatem remittendi et retinendi peccata, quae tota revocatur ad praedicationem verbi, et ad ministrationem sacramentorum (duorum), tamquam ad alium quemdam modum et quoddam subsidium praedicationis. (3) Porro istud ministerium distinctum in Episcopos

(1) Confess. Anglic. art. 30.

(2) Robertus Hom³¹ discipulus Cranmeri et ab Elisabetha creatus episcopus Wintoniensis, contra quem scripsit Stapletonus, quatuor diversa distinguit sacerdotia, quorum tria admittit ut vera nempe Aaronicum V.T.; alterum solius Iesu Christi in sacrificio crucis; tertium regum, reginarum et omnium fidelium. «Quartum genus est inter Papistas, quod *sacrificans et missans sacerdotium* dicitur: de hoc génère non fuerunt Apostoli et veri ministri suae Ecclesiae sacerdotes. Nam hic ordo solum ad Clerum apostaticum Romanum Antichristi pertinet. Si vis igitur, Christum Episcopis et sacerdotibus hoc ritu Papistico factis aliquod regimen reliquisse, haec opinio haeretica est... Si uspiam Ministros Christi sacerdotes nuncupavero, sciatis veUm, me tantum usitatam et diu receptam consuetudinem loquendi licet improprium sequi» (vide Lequien T. H, c. 1 § 8).³²

(3) Jewellus³³ sub Elisabetha episcopus Salisburiensis hanc potestatem declarât. «Ministri a Christo datam esse dicimus Ugandi, solvendi, aperiendi, claudendi potestatem... non ut audierent arcanas populi confessiones aut captarent murmura, quod sacrificuli nunc omnes palam faciunt; *sed ut docerent, ut prae-*

³¹ Robert Horne, évêque de Winchester. Cf. *supra*, Gordon, note 49.

³² Lire «§ 7»: *Nullité...*, cit., pp. 236 s.

³³ Cf. *supra*, Gordon, note 43. Le texte cité ici, se trouve dans M. LE QUIEN, *Nullité...*, cit., c. 1, § 7: II, pp. 250 s.

(Overseers superintendentes), presbyteros (Elders seniores) et diaconos et convenientia non ex necessitate conferendum erat cerimonia religiosa, quae vocatur ordinatio. (1) Hanc fuisse sub Eduardo constitutam professionem Anglicanam, ex publicis actis et legibus et theologorum scriptis illius aetatis satis probatum videri potest tum in Opère citato Lequienii, tum quoad rei summam etiam in Votis theologorum pro hac Suprema Congregatione in causa anni 1685, quam superius commemoravi.

7. Huic iam publicae professioni dogmaticae accomodanda erat tota liturgia, et (quod nunc spectamus) forma ordinationis Ministrorum. Hinc sicut in liturgia ita in ordinatione Ministrorum magno studio eliminatum est ex ritu antiquo omne illud, quod significaret *sacrificium, consecrationem, sacerdotium, potestatem consecrandi et offerendi sacrificium*. Forma autem quam ad hunc finem repudiato ritu catholico induxerunt sub Eduardo et restituerunt sub Elisabetha, erat sequens. *Pro presbyteris seu senioribus*: «Accipe Spiritum Sanctum. Cuius peccata remiseris, remissa sunt; et cuius peccata retinueris, retenta sunt. Sis fidelis dispensator verbi Dei, et sanctorum eius sacramentorum, in nomine P. et F. et Sp. S. Amen». Tum traditis Bibliis: «Accipe auctoritatem praedicandi verbum Dei et ministrandi sancta sacramenta in Congregatione, in qua eris légitime institutus». (2) *Pro episcopis seu superintendentibus*: «Accipe Spiritum Sanctum; et memineris excitare gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum; non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis». ³⁴

dicarent evangelium, ut essent credentibus odor vitae ad vitam, ut essent incredulis atque infidelibus odor mortis ad mortem; ut priorum animi conscientia consternati, postquam adspicere coepissent lucem evangelii et in Christum credere, ut fores clavi, ita et illi verbo Dei aperirent; impii autem et contumaces, quique nolunt credere et redire ad vitam, quasi obserati et clausi relinquerentur» (Apol. pro Eccl. Angl.).

(1) Probationes ex DD. Anglicanis vide apud Lequien T. I, c. 8 § 3. ³⁵

(2) «Receive the holy Ghost; whose sins thou dost forgive, they are forgiven and whose sins thou dost retain, they are retained. And be thou a faithful dispenser of the word of God, and of his holy sacraments; in the name of the F. of the S. and the H. G. Amen. — Take thou authority to preach the word of God and to minister the holy sacraments in the Congregation, where thou shalt be lawfully appointed thereunto.»

³⁴ Cf. HA, 235 s.; 243; *Ordines anglicani*, 139; 154.

³⁵ Cf. M. LE QUIEN, *Nullité...* cit., c. 1, § 7: II, pp. 330 ss.

8. Si hanc cerimoniam, maxime illam pro institutione presbyterorum, per sese spectemus, nulla reperitur expressa collatio potestatis sacerdotalis; si vero spectemus finem ac scopum quo substituta est haec forma et abolitus ritus catholicus ordinationis, significatio potestatis sacerdotalis studiose esclusa intelligitur. Exclusio haec significationis non est ex interna et occulta dumtaxat intentione ministri ordinantis, ne ingredi necesse sit quaestionem illam de intentione ministri contraria significationi externae ritus sacramentalis; sed imo ipse ritus externus totus mutatus est, catholicus repudiatus, novus secundum publicam professionem haeticam adoptatus ad hunc finem, ut exterminaretur significatio potestatis sacerdotalis hoc est potestatis consecrandi et offerendi sacrificium novi Testamenti.

Atqui haec significatio quae in ritu Anglicano excluditur, in ritu ordinationis sacerdotalis est ex Christi institutione, atque ideo est essentialis ita, ut sine illa sacramentum ordinis non subsistat, ac proinde nulla prorsus potestas sacerdotalis conferatur. Et sane cum sacramenta novae legis sint *visibilia signa efficacia*, illud operantur, quod significant; absurdum ergo est, ritum visibilem in quo excluditur significatio potestatis sacerdotalis conferendae, esse sacramentum ad hanc ipsam potestatem conferendam.

9. Dixi in ritu ordinationis ex Christi institutione essentialem esse significationem collationis sacerdotii ad consecrationem et oblationem sacrificii corporis et sanguinis Domini. Est enim de fide, Apostolos in ultima coena institutos fuisse sacerdotes illis verbis Christi: «hoc facite in meam commemorationem /10/ (Trid. sess. 22, can. 2);³⁶ hancque potestatem sacerdotalem Christus Dominus tunc instituit propagandam ad Apostolorum in sacerdotio successores. Quando ergo sacramentum Ordinis hoc est *visibile signum* collationis sacerdotii instituit, illud sane instituit ut signum hoc est ut ritum continentem significationem potestatis faciendi, quod Christus fecit in ultima coena, ipse sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Neque tamen ideo in *individuo* ipsa verba determinavit, quibus ea significatio exprimeretur, dummodo in ritu visibili (materia et forma), significatio ab ipso instituta conservetur. Haec significatio in omnibus ritibus orientalibus non minus conservata est quam in ritu Ecclesiae occidentalis, licet aliis verbis expressa; ritus vero Anglicanus eam significationem non solum non conservavit, sed imo inductus est in directa oppositione con-

³⁶ Cf. DS 1752.

tra doctrinam et contra sacramentum Ecclesiae catholicae *ad illam significationem excludendam*. In illis ergo orientalibus ritibus integrum semper fuit ac manet sacramentum propagandi sacerdotii, in hoc Anglicano nullum fuit inde a sua origine (anno 1552).

10. Haec vera essent, etiamsi quis forte diceret formam Anglicanam in se spectatam *esse ambiguam*. Nam quando etiam a ministris singulis sacramenti pervertitur forma ad hunc finem, ut significatio essentialis mutetur, sacramentum redditur invalidum, quantumvis verba substituta ambigua per se possent admittere significationem veram. Notissima est S. Zachariae Pontificis responsio ad consultationem S. Bonifacii Moguntini de mutatione in forma baptismi, ita ut verba essent ambigua, et habere possent per se significationem veram vel etiam falsam. Ait nimirum Pontifex, baptismum habendum esse validum, si baptizans ea verba adhibuit «*non errorem introducens aut haeserim, sed pro sola ignorantia Romanae locutionis infringendo linguam*» (Conc. Mansi T. XII, p. 325).³⁷ Si ergo ad mutandam significationem formae fuisset inducta verborum mutatio, baptismus esset invalidus. Hoc ipsum est, quod docet S. Thomas generatim de additione vel diminutione in formis sacramentorum: si proferens verba (quae per se spectata formam non essentialiter mutant) «intendat per huiusmodi additionem vel diminutionem *alium ritum inducere qui non sit ab Ecclesia receptus*, non videtur perfici sacramentum, quia non videtur, quod intendat facere id, quod fecit Ecclesia» (S.Th. 3, q. 60, a. 8; Cf. a. 7, ad 3; Vide Suarez de Sacram. disp. n, sect. 5).³⁸

Si haec valent de singulis ministris sacramentorum, multo evidentius nullum redditur sacramentum, si publice tota secta inducit formae ab Ecclesia receptae mutationem, expresse hac intentione, ut significatio essentialis transvertatur in aliam quemadmodum evidenter factum est a Calvinianis auctoribus formae Anglicanae, dum ritum ordinationis Ecclesiae Romanae et in Ecclesia Angliae inde a sua origine receptum reiecerunt, suamque novam formam induxerunt ad hunc finem, ut iuxta suam haeresim significatio conferendae *potestatis sacerdotalis* in novo hoc ritu eliminaretur. Frustra ergo quaeritur, utrum verbis illis formae Anglicanae «*Accipe Spiritum Sanctum etc.*», per se spectatis et in aliis adiunctis *posset* adhuc subesse essentialis significatio sacerdotii

" Cf. DS 588.

³⁸ In *Commentant et disputationes in tertiam partem P. Divi Thomae*, m, Lyon 1608, pp. 29-31.

conferendi. Etiam si enim concederetur, posse istam significationem subesse, verba saltem sunt ambigua; ex scopo autem et adiunctis mutationis, quae facta est *ad alium ritum inducendum ab Ecclesia non receptum* (ut loquitur S. Thomas), imo ad ritum Ecclesiae essentiali eliminandum, verba determinantur non ad significandam sed ad negandam collationem sacerdotii.

11. Anglicani illi qui inde a temporibus Caroli I³⁹ coeperunt admittere sacrificium et sacerdotium novi Testamenti, inter quos erat Græbius⁴⁰ in suis adnotationibus ad libros S. Irenæi, intellexerunt etiam necessarium esse ritum sacrum ad conferendam potestatem sacerdotii. Cum vero simul vidèrent, in forma ordinationis a Cranmero inducta collationem huius potestatis nullatenus esse expressam, et argumenta Catholicorum ex defectu formae demonstrantium inanitatem sacerdotii Anglicani, convellere non possent: cogitare coeperunt de supplendo hoc defectu. Sed difficultas erat maxima, cum nec formam hactenus adhibitam aperte reiicere vellent, nec doctrinam Calvinianam damnare, in qua plurimi Anglicani persistebant repudiantes sacrificium et sacerdotium proprie dictum. Unde conati sunt satisfacere utrique parti, quod fieri posse putabant retinendo formam Cranmerianam et eam supplendo verbis nonnullis, quae sensum collati sacerdotii per se admitterent pro iis, qui hunc sensum desiderarent, et sensum Calvinianum tamen non excluderent. Forma itaque sub Carolo II anno 1662, inducta et nunc adhuc retenta ita habet: «Accipe Spiritum Sanctum ad officium et opus presbyteri in Ecclesia Dei nunc tibi commissum per impositionem manuum nostrarum. Cuius peccata remiseris, remissa sunt; et cuius peccata retinueris, retenta /12/ sunt. Sis fidelis dispensator verbi Dei», (1) cum reliquis ut in formula

(1) «Receive the holy Ghost for the office and work of a Priest in the Church of God, now committed unto thee by the imposition of our hands. Whose sins thou dost forgiven, they are forgiven; and whose sins thou dost retain, they are retained. And be thou a faithful dispenser of the word of God etc».

³⁹ Charles I, roi d'Angleterre de 1625 à 1649.

⁴⁰ Jean Ernest Grabe (1666-1711). Théologien luthérien à tendances catholiques romaines, passa en Angleterre et adhéra à l'Église anglicane. Les renseignements fournis par Franzelin sont empruntés à M. LE QUIEN, *Nullité...*, cit., c. 1, § 2: n, pp. 261 ss. Grabe composa *Irenæi contra haereses libri V...*, Oxford 1702. Le texte d'Irénée est accompagné de notes. Sur celles qui regardent l'eucharistie on lira les remarques de R. MASSUET, *Dissertatio III in Irenæi...*, nn. 88, 92, 93, 94, 95, 96, a. 7, dans *Sancti Irenæi contra haereses*, n,

Cranmeriana. *Pro episcopis*: «Accipe Spiritum Sanctum ad munus et opus episcopi in Ecclesia Dei nunc tibi commissum per impositionem manuum nostrarum, in nomine P. et F. et Sp. S. Amen. Et memineris excitare gratiam Dei, quae data est tibi per impositionem manuum nostrarum; non enim dédit nobis Deus»⁴¹ etc., ut in formula priori.

At vero dum hanc suppletionem necessariam iudicarunt, facto ipso prodiderunt formam priorem non fuisse sufficientem, ac proinde per integrum saeculum ab anno 1559 ad 1662 ordinationes illas fuisse omnes inanes. Postquam autem per centum annos sacerdotium et episcopatus defecerat, iam sero medicina parabatur, cum mala per longas invaluerent moras. Quidquid enim dicatur de nova ista forma, imo etiamsi postliminio totum ritum catholicum adoptassent, iam ordinationes validae fieri non potuissent propter defectum potestatis, cum episcopi iam nulli apud eos reperiebatur. Praescindendo igitur ab illa quaestione facti, an Matthaeus Parker ab Episcopo et an ritu Anglicano Eduardi VI unquam initiatus fuerit; ex ipsa forma Eduardiana eiusque origine et historia certum est, ordines istius sectae nullos plane esse ac irritos. (1) Hoc autem verum maneret, etiamsi verba *Accipe Spiritum*

(1) In causa Ioannis Gordon anno 1704 narrat Genettus⁴² quem supra nominavi, hanc rationem iam anno 1685 fuisse propositam: «che la decisione adeguata si doveva prendere non dal fatto (ordinationis Parkeri) che dipendeva dall'istoria assai imbrogliata... ma dal difetto dell'intenzione e délie parole che usavano gli Eretici Anglicani nell'ordine sacerdotale». Postea idem Genettus cum Nuntio Apostolico Card. D'Adda⁴³ missus in Angliam ad Iacobum II,⁴⁴ multas de hac re habuit consultationes cum Vicario Apostolico Leiburn et cum theologis Anglis, «Dottori di Sorbona o di Douai tutti uomini di consummata dottrina»; ac tandem in hanc sententiam convenerunt: «Vedendo che detto fatto restava sempre dubbioso, fu poi concluso col parere unanime di tutti con le ragioni suddette (defectus formae) di trattar i Vescovi e Preti Anglicani che venissero alla fede cattolica, come semphci laici. E cosi si praticô poi senz'altra difficultà» (Act. Archiv. f. 776).⁴⁵

Venise 1734, pp. 133 ss., et les notes au rv^o livre de s. Irénée, cc. 17,18 ou 32 et 34, pp. 313, 316.

⁴¹ Cf. HA, 235, 243.

⁴² Cf. *supra*, Gordon, N. 42.

⁴³ Ferdinando D'Adda. Cf. *supra*, Gordon, note 221.

⁴⁴ Roi de Grande Bretagne (1685).

⁴⁵ Cf. *supra*, Gordon, N. 42.

Sanctum in alio ritu et in aliis adiunctis significare possent collationem potestatis sacerdotalis; quoniam (ut demonstratum est) apud Anglicanos verba illa substituta sunt formae antiquae catholicae non ad retinendam sed expresse ad eliminandam significationem collationis sacerdotii. Nunc transeo ad inquisitionem, quid rei sit de praetensa decisione valens trium istorum verborum: «*Accipe Spiritum Sanctum*».

113/

Caput II

12. Viderunt Anglicani *Ritualistae* necessitatem defendendi sufficientiam formae etiam prions illius, quae sub Eduardo VI et Elisabetha ritui catholico substituta est. Hinc adversus Catholicos qui ordines Anglicanos nullos agnoscunt, avide arripuerunt decretum quod proferunt, huius Supremae Congregationis, ex quo tamquam ex sententia ipsius Ecclesiae Romanae demonstrarent, hanc formam «*Accipe Spiritum Sanctum*» qua Anglicani semper usi sunt, sufficientem esse ad sacros ordines valide conferendos. Decretum istud ex quo miramur ne dicam absurdam assertionem probare instituunt, dicunt fuisse editum anno 1704 (de die et feria mox dicam), et iterum citatum Feria rv die 9 maii 1860. Unde Il. mus Archiep. Westmonasteriensis postulat declarationem S.S. Congregationis de genuino decreti sensu, «quia (inquit) nobis vetitum est acta et décréta eiusdem Congregationis interpretari».⁴⁶

Accurate igitur ex documentis in Archivio S.S.C. asservatis exponam primum historiam decreti, ex qua manifestum erit, illud numquam fuisse editum seu approbatum; tum altero loco dicam, quo sensu illa *Resolutio* (ita enim inscripta est) necessario intelligenda sit, sive iam ea Consultori S.C. tantummodo tribuenda sit, sive etiam permittatur hypothesis minime vera existentiae istius *decreti S. Congregationis*, ut in literis Archiepiscopi appellatur. Ex his omnibus deinde dispiciendum erit, quid respondendum esse videatur ad quaestionem Archiepiscopi.

§1-

13. Historia ita habet.⁴⁷ Anno 1860 ab Athanasio Kuzam⁴⁸ Vicario Apostolico pro Coptis, proposita sunt plura dubia, inter quae

⁴⁶ Cf. *infra*, Summarium, Num. i.

⁴⁷ Cf. S. M. BRANDI, *Délie ordinazioni...*, cit., pp. 65-69; 200-204; E. E. ESTCOURT, *The question...*, cit., pp. cvm-cx; HA, 245-248.

⁴⁸ Athanasio Kuzam (f 1864?), vicaire apostolique pour les Coptes. Evêque titulaire de Maronea (Rhodope) (1855).

secundum erat de valore ordinum p̄nes monophysitas, primo quia saepe per vim illatam ordinantur inviti, deinde ob defectum materiae. «Ma quello che ci fa dubitare et tener per nulla la ordinazione dei monofisiti è, che l'ordinante non impone le mani sull'ordinando, ma solamente gli impone una croce d'argento ch'egli tiene pel manico o asta inferiore. Più i monofisiti credono, che l'essenza dell'ordinazione consista nell'insufflazione, che fa l'ordinante neU'atto che dice: *Acdpe Spiritum Sanctum*. Prova di ciò è che volendo il Vescovo degradare qualcuno, lo fa venire, e ritira l'insufflazione; benché questa insufflazione non esista nel Pvituale».⁴⁹

Porro Ill.mus nunc Pisanus Archiepiscopus Paulus Micallef⁵⁰ tum temporis S.C. Consultor in docto suo Voto ad hanc partem dubii inter alia citavit (p. 7.) ex theologo Antoine decretum Supremae: «Il caso non riesce nuovo, perché il P. Antoine nella sua Theol. Moral. Tratt. de Ordine in fine,⁵¹ riferisce un postulato del Prefetto délie Missioni in Etiopia... Nel *di dieci aprile* 1704 questa Suprema Inquisizione rispose "ordinatio diaconi cum simplici crucis patriarchalis impositione omnino invalida est"». Hinc Rev.mi CC. Feria u, die 30 Aprilis 1860, ad hanc partem dubii dixerunt: «detur responsio Supremae Inquisitionis *diei 10 Aprilis* (1) 1704».⁵² Em.mi PP. Feria iv, die 9 Maii, responderunt: «Iuxta exposita ordinationem esse invalidant, et detur responsio ut Feria rv, 9 Aprilis 1704».

Cum totam istam Resolutionem anni 1704, de qua nunc in Anglia tantae lites fervere dicuntur, diligentius inspexissem, res mihi videbatur obscura et inextricabilis, nisi acta ipsa ob oculos haberentur.

(1) Alia manu deinceps correctione non bona scriptum est *9 Aprilis*. Supponens quispiam responsum esse Feriae iv suggestisse videtur correctionem in *diem 9*, in quam eo anno incidit illa Feria; hoc idem deinde transiit in responsum EE. PP. At pertinent ista omnia certissime ad Feriam v *die decima Aprilis* 1704 coram SS.mo Clémente XI, ut videbimus.

⁴⁹ Cf. *infra*, note 55.

⁵⁰ Paul Micallef, O.E.S.A. (1818-1883). Maltaise, consultant du Saint-Office (1859), évêque de Città di Castello (1863), puis archevêque de Pise (1871). Cf. HC vm, 206 s., 455. Le *votum* 'Micallef se trouve dans: Archives CDF, *Dubia de Baptismo*, 1858-1862, 1860, fasc. 6.

⁵¹ Paul Gabriel Antoine, S.J. (1679-1743). Auteur de *Theologia mordis universa*, Venise 1830. Texte cité: H, pp. 292 s.

⁵² Archives CDF, *Dubia de Baptismo*, 1858-1862, fasc. 6, fol. 50v.

Quid enim totusne ritus ordinationis apud Coptos consistit in cursoria illa manus impositione, et tribus istis verbis omnino indeterminatae significationis? Incredibile id erat, et falsum esse constat ex Ritualibus Copticis apud Morinum⁵³ et Assemanium.⁵⁴ Multo vero incredibilius mihi videbatur S.S. Congregationem respondisse, illa duo sufficere ad valorem or/15/dinationis. Roganti ergo mihi vigilantissimus custos Archivi suppediavit ingenti volumine documenta omnia quibus gesta et décréta in rébus Copticis ab anno 1634 ad annum 1805⁵⁵ continentur. Omnibus cupidissime excussis et inter se comparatis, pro causa praesenti didici haec, quae subiicio.

14. Die 20 Octobris 1703 S.C. de Propaganda Fide transmisit ad hanc Supremam sex dubia proposita a Praefecto Apostolico Missionum Aethiopiae P. Iosepho Hierosolymitano (P. Giuseppe di Gierusalemme, Minor Riformato). 1° De celebratione Missae in vino ex uvis passis (Zebibo); 2° «se il sacerdote o monaco Abissino sia legittimamente ordinato, e conseguentemente se fatto cattolico possa e debba essere ammesso all'esercizio dell'Ordine»; 3° de communicatione in sacris cum schismaticis; 4° de conformatione cum schismaticis in observatione, Quadragesimae et festorum; 5° de celebratione in altaribus schismaticorum; 6° de usu sacrorum oleorum veterum, quando renovari nequeunt. Feria rv 24 Octobris Em.mi PP. commiserunt Consultori Ioanni Damasceno, «ut réferat et sententiam suam exprimat de quaesitis». Consultor scripsit suum Votum ad quaestiones singulas, et ad secundam de qua sola nunc agitur, respondit in haec verba: «*Quatenus Aethiopes Iacobitarum vel alio ritu utantur, in quo eorum sacerdotes seu monachi per manuum impositionem ordinentur, eorum ordinatio est valida; et sacerdotes sic ordinati si catholicam fidem subinde susceperint, postquam cum illis super irregularitate fuerit dispensatum et ab excommunicatione fuerint absoluti, possunt admitti ad exercitium suorum ordinum secundum eorum ritum ab Ecclesia tamen approbatum vel expurgatum*».⁵⁶

⁵³ Jean Morin. Cf. Gordon, note 32. Texte cité: *Comntentarius...*, cit., pp. 506 s.

⁵⁴ Giuseppe Simon Assemanius (1687-1768). Orientaliste syrien. Auteur d'un *votum* du titre *Coptica sive aegyptiaca de validitate sacramenti ordinis ab episcopis aegyptiis administrati*, Roma 1733. Deux exemplaires manuscrits de cet *votum* se trouvent dans les Archives du Saint Office: Archives CDF, *Stanza Storica*, QQ 2 d, ff. 239r-423v et QQ 3 m, ff. 315r-461v». Il fût publié par A. MAI, *Délie nazione dei Copti e délia validità del sacramento dell'ordine presso loro; dissertazione di Giust. Sim. Assemani, composta nell'anno 1733, e conservata in un codice vaticano*, dans *Scriptorum Veterum nova collectio*, v/2, Rome 1825, pp. 171-237. Cf. *infra*, note 79.

⁵⁵ Le volume porte le titre *Circa Cophtos, Abissinos, Iacobitas, et Nestorianos, Etyopos, ab anno 1634 ad 1805*: Archives CDF, *Stanza Storica*, QQ 2 c, fasc. 13.

⁵⁶ *Ibid.*, f. 137rv.

Hoc Votum relatum est coram SS.mo Feria v die 14 Februarii 1704. Sanctissimus suam pronuntiavit decisionem quoad quatuor ultima quaesita, quoad primum et secundum dixit: *Dilata*. Et de nostro quidem secundo his verbis Assessor S.O. refert responsum: «SS.mus mandavit pariter per me exquiri ab eodem P. Iosepho *et ab aliis periti rituum abissinorum*, qua praesertim forma conferantur ordines etiam sacri et presbyteratus ab Episcopis schismaticis Aethiopiae, et deinde confici et proponi novum quaesitum».⁵⁷

15. P. Iosephus cui resolutio dubii 3, 4, 5, data 14 Februarii non videtur satisfacisse, concinnavit aliquam explicationem non solum de duobus sed de quinque prioribus dubiis, quae refertur in actis fasc. xm, fol. 140. Consultores Feria H die 18 Februarii dixerunt: «fiat aliqua ex/16/perientia circa praetensum vinum, de quo agitur; et *circa ordinationem alii periti ritum Abissinorum audiantur*».⁵⁸

Tum dubiorum 2, 3, 5 explicatio concinnata est paulo clarior f. 150. «Tre dubbi dei sei proposti dal P. Giuseppe di Gierusalemme più chiaramente distesi, e concepiti secondo il concertato nel congresso tenuto avanti l'Em.mo Sacripante, e susseguentemente approvati dall'Eminenza Sua, e poscia dallo stesso P. Giuseppe al quale furono letti nella Congregazione dei Signori Consultori tenutosi li 24 Marzo 1704». Haec clarior expositio quoad dubium secundum de ordinationibus f. 150, est ad verbum illa ipsa, quae (in Summario n. m) praemititur Resolutioni praetensae, de qua nunc Angli quaerunt.

16. Consultor secundum novam hanc dubiorum explicationem de quaestionibus 1, 2, 3, 5 a Patre Iosepho propositis, novum elucubravat Votum, quod relatum fuit coram SS.mo Feria v die 10 Aprilis 1704. In hoc Voto scripto et subsignato a Consultore Ioanne Damasceno *Resolutio* ad quaesitum secundum (de ordinationibus), folio 159-160, continetur singulis verbis et syllabis illa ipsa, quae nunc dicitur *Responso* seu *decretum S.S. Congregationis*. (1) Atqui non Congregationis respon-

(1) Vide istam Resolutionem Feria iv 9 Aprilis 1704 (ut dicitur) in Summario n. m. In praetenso decreto omissa solum sunt haec ultima verba Consultoris. «Ratio Resolutionis: haec Resolutio fundatur super praxi Ecclesiae in similibus casibus, ut videri poterit in decreto super ordinationibus Episcopi Abellinensis coram Innocentio XII emanato, et etiam respective colligitur ex cap. *Tunc nobis* de Clerico per saltum promoti.» Decretum istud Innocentii XII inferius suo loco nobis usui erit.

⁵⁷ *Ibid.*

⁵⁸ *Ibid.*, f. 139v.

sio est, sed Votum Consultons, idque SS.mo minime approbatum. Etenim ad singula quaesita in Voto isto exposita et resoluta habetur responsio SS.mi in hunc modum. «Feria v die 10 Aprilis 1704, SS.mus auditis votis Em.morum quoad lum. dubium (de vino ex uvis passis) dixit: Dilata ad mentem. Ad 2um. dubium (quod est nostrum de ordinationibus): *Dilata ad mentem*». Sequuntur deinde responsiones Pontificis ad duo reliqua dubia: «ad 3um *negative*; ad 5um. *habebitur ratio in casibus particularibus*»,⁵⁹ quae nunc nihil ad nos pertinent. Verum ex hac fideli descriptione responsionum démentis XI evidens est, illam Resolutionem S.C. de ordinationibus Coptorum Feria iv die 9 Aprilis 1704 nullo modo subsistere; sed esse eam simplex Votum Consultons Feria v 10 Aprilis a SS.mo non approbatum.

/17/ 17. Quaerendum tamen est, utrum fortasse postea habitis no vis investigationibus fuerit approbatum id, quod de ordinationibus dicitur. At si habitae sunt novae inquisitiones, a *priori* ut ita dicam, incredibile est, decretum fuisse conceptum his verbis, quibus profertur et quae nihil sunt aliud (ut ostendi) quam Votum Consultoris pro Congregatione Ferae v diei 10 (vel per errorem 9) Aprilis 1704. Porro ex Actis satis constat, hanc quaestionem P. Iosephi de ordinationibus Coptorum in S.C. non amplius fuisse propositam, sed relictam insolutam. Nam continuo post ea quae pertinent ad istam Congregationem coram SS.mo Feria v 10 Aprilis 1704, sequuntur in Actis eodem fasciculo xm, f. 176, assumptiones factae anno 1706. Hoc enim anno P. Carolus Maria Ianuensis (da Genova), Praefectus Missionum in Borno et Fesan,⁶⁰ postulavit facultatem utendi in Missa vino ex uvis passis, «quai facoltà suppone essere stata qualche anno fa' conceduta al Prefetto délie Missioni di Etiopia». Hac igitur occasione necesse fuit resumere ea, quae gesta erant anno 1704 pertinentia ad lum. quaesitum P. Iosephi Hierosolymitani Praefecti MM. Aethiopiae. Iam vero ibi dicitur in relatione Assessoris f. 177: «Il suddetto quesito non è stato più riproposto avanti la Santità di N.S. perché il suddetto Padre Giuseppe di Gierusalemme parti sin d'allora per la sua Missione in Etiopia, ne voile aspettare detta risoluzione, benché poi fossero fatte fare diverse esperienze del vino fatto di Zebibo. *Mapoi la materia resta cosi indecisa ne risolta.*» Atqui si hoc propter discessum P. Iosephi ita factum est in dubio primo, concludere oportet dubium secundum i.e. nostrum de ordi-

⁵⁹ *Ibid.*, f. 160f.

⁶⁰ Carlo Maria da Genova, préfet des missions de Bornou (Nigeria Cameroun) et Fez-zan (sud ouest de la Lybie).

nationibus mansisse eodem modo indecisum; ad utrumque enim 14 Februarii et 10 Aprilis 1704 Pontifex idem dederat responsum: *Dilata*. Fuisse istam Congregationem diei 10 Aprilis ultimam, in qua propositum est dubium de ordinationibus et relictum insolutum, patet in super ex scheda Assessoris scripta anno 1706, in qua dicitur (fasc. xm, fol. 169): «i dubbi proposti dal P. Giuseppe di Gierusalemme... essendo stati riferiti avanti la Santità di N.S. in tre Congregazioni, cioè li 14 Febbraro 1703 (debet esse 1704) e 24 Marzo (1) e 10 Aprile 1704». Usque ad annum 1706 nihil amplius actum; hoc vero anno 1706 solum primum dubium de vino ex uvis passis est /18/ resumptum et (Feria v 22 Iulii) decisa (*licere* sub certis conditionibus ibi expressis), quia de illo solo P. Carolus Maria quae-sierat; de secundo vero i. e. de ordinationibus nulla amplius mentio reperitur usque ad annum 1733.

Hoc anno, de quo mox dicam, res tota de ordinationibus Copticis tractata est distinctissime et doctissime ab Assemano sine ulla resumptione aut memoria gestorum anni 1704, quae tamen fuisset opportunissima, si decisio tum data fuisset ut refertur pro valore ordinationis sub forma: *Accipe Spiritum Sanctum*; nec opus habuisset magnus ille vir scribere volumen praegrande (quod exstat in Actis) ad demonstrandam ex toto ritu Coptico validitatem ordinationum.

18. Ergo iterum manet omnino indubitatum, illud quod profertur ut decretum S. Congregationis Feriae iv diei 9 Aprilis 1704, non esse aliud quam votum P. Ioannis Damasceni Consultoris, ad quod S.S. mus Feria v 10 Aprilis respondit: *Dilata*. Quaecumque ergo ibi dicuntur, ea nec Pontificis nec S. Congregationis confirmationem habuerunt.

Si igitur secundum plenam rei veritatem respondendum est interrogationi Ill.mi Westmonasteriensis, negari debet suppositum, et simpliciter diei, illud quod citatur pro sufficientia formae, *Accipe Spiritum Sanctum*, non esse desumptum ex aliquo decreto S. Congregationis, sed ex Voto Consultoris numquam a S.C. approbato.

19. Dicet fortasse quispiam, Votum istud licet non anno 1704, quando scriptum est, attamen Feria iv 9 Maii 1860 fuisse a Suprema approbatum, quando illud tamquam Resolutionem Feriae rv 9 Aprilis 1704 iussit communicari Vicario Apostolico pro Coptis Athanasio Kozam. Sed facilis est responsio.

a) Huiusmodi allegatio post 156 annos derivata ex demonstrato

(1) Lapsus est memoriae: 24 Mardi 1704 erat Feria H, in qua habita est Congregatio Consultorum a me superius n. 15 memorata.

errore facti, qui primam originem debet citationi ex theologia morali Antoinii, a nemine potest censi approbatio omnium eorum, quae in illo Voto anni 1704 continentur.

b) Responsio ista anni 1860 refertur ad illam dumtaxat partem Voti Consultons Damasceni, quae tractat rem per se manifestam, de qua sola anno 1860 agebatur, et quae nullo modo pertinet ad sufficientiam formae, de qua nunc Angli disceptant. Quaestio Athanasii Kuzam haec erat: «la collazione degli Ordini sacri dei Monofisiti esposta sopra, (1) *per il difetto della imposizione delle mani* è assolutamente nulla, 119/ oppure è assolutamente dubbia?» Ad hoc quaesitum S.C. 9 Maii 1860 respondit: «iuxta exposita ordinationem esse invalidam (nempe per il difetto della imposizione delle mani), et detur responsio ut Feria rv 9 Aprilis 1704». Nimirum respondeatur, ut in illo documento, in quo scriptum est: «diaconi ordinatio cum simplici crucis patriarchalis impositione omnino invalida est».⁶¹ Haec ergo pars Voti approbata est 9 Maii 1860; sed nihil inquisitum, multoque minus quidpiam decisum de forma, *Accipe Spiritum Sanctum*.

Hoc etiam sensu potuit aliquando cuipiam Votum idem fuisse communicatum in dubiis de impositione manuum Episcopi; atque inde eius notitiam suppono pervenisse ad P. Antoinium, qui et ipse istam solam partem citat de defectu impositionis manuum.

§ II.

20. Nihilominus supponamus cum Ill.mo Archiepiscopo Westmonasteriensi existere decretum anni 1704 ita, ut refertur, et in hac hypothesis examinemus quaestionem ab eodem Archipraesule propositam: «an in decreto illo explicite vel implicite contineatur doctrina, ad validitatem ordinis presbyteratus sufficere impositionem manuum cum his dumtaxat verbis, *Accipe Spiritum Sanctum?*»

Quaestio ista iterum potest intelligi dupliciter, a) an S.C. docuerit, *universim* etiam in Ecclesia latina, et proinde etiam in schismate Angli-

(1) Supra exposuerat: «ma quello che ci fa dubitare e tenere per nulla la ordinazione dei Monofisiti è *che l'ordinante non importe le mani sull'ordinando*, ma solamente gli impone una croce d'argento, ch'egli tiene pel manico o asta inferiore».

⁶¹ Volume *Circa Cophos...*: Archives CDF, *Stanza Storica*, QQ 2 c, fasc. 13, f. 139f.

cano, quod ab hac Ecclesia avulsam ordinationem sacerdotalem (si quam retinuit) ab eadem latina Ecclesia derivatam habet, impositionem manuum Episcopi tamquam materiam cum hac forma *Accipe Spiritum Sanctum* sufficere ad ordinem presbyteratus valide conferendum? vel b) an S.C. saltem docuerit, *spedatim* istam formam sufficere in ordinatione Coptorum, de qua sola quaerebatur? Duas istas quaestiones non esse unius eiusdemque rationis, nec si Suprema docuisset secundum, inde inferri posse eandem S. Congregationem docuisse etiam primum, mox apparebit.

/20/ Nunc duo demonstranda suscipio. 1° Ex constanti praxi sacrarum Congregationum prorsus absurdum est existimare, hanc Supremam explicite vel implicite declarasse, illam materiam et formam *universim*, et proinde etiam in Ecclesia occidentali esse sufficientem ad valorem Ordinis. Talis vero deberet esse sensus declarationis, ut *Ritualistae* Anglicani, qui ad Ecclesiam occidentalem se pertinere iactant, et ab Ecclesia eadem derivatos se esse dicere coguntur, illam opponere possent Catholicis. Evidenter etiam hic est sensus quaestionis Archiepiscopi; proponit enim eam in relatione ad ordinationes Anglicanas. Nihilominus ad pracludendam tergiversationem. 2° Inspectis documentis opportunis etiam falsum est, S. Congregationem (supponendo existentiam decreti, de quo agitur) explicite vel implicite docuisse, *in ritu Coptico* sufficere ad valorem Ordinis illa dumtaxat verba, *Accipe Spiritum Sanctum*.

21. I. Plene constat, sacras Congregationes et nominatim hanc Supremam semper, eoque ipso tempore, quo saepe memorata Resolutio anno 1704 édita supponitur, theoretice docuisse et practice tenuisse ut necessarias *ad certitudinem* validae ordinationis in Ecclesia occidentali omnes illas partes praecipuas quae praescribuntur in Pontificali Romano, ac nominatim traditionem instrumentorum, in presbyteratu calicis ac patenae cum vino et hostia, una cum verbis concomitantibus, quibus explicite significatur collatio potestatis offerendi sacrificium eucharisticum. Certum est ergo, hanc Supremam etiam anno 1704 tenuisse ut theoretice probabilem, et practice in Ecclesia occidentali omnino sequendam sententiam illorum theologorum gravissimorum et paene omnium Canonistarum, qui censent eas omnes partes esse essentielles ad valorem Ordinis. Quae quidem sententia ex decreto Eugenii IV pro Armenis lato in Conc. Florentino⁶² magnam habet suae probabi-

⁶² Dans le décret *Pro Armenis* (1439): Cf. *DS* 1326.

litatis confirmationem. Atqui si ita est, si haec inquam semper et etiam anno 1704 fuit theoretica doctrina et hic practicus usus Supremae, repugnat eam in aliquo suo decreto explicite vel implicite docuisse, *universim* etiam in Ecclesia occidentali sufficere impositionem manuum Episcopi cum hisce dumtaxat verbis, *Ac dpe Spiritum Sandum*; tali enim decisione suam propriam constantem doctrinam ac praxim declarasset improbabilem, et evidenter sibi contradixisset. Ergo hic non potest esse sensus sive explicitus sive implicitus suppositi istius decreti. Propositio *minor* et consequentia est per se evidens, *maior* Em. mis PP. quibus scribo, aequè perspecta est. Indicabo tamen nonnulla argumenta non ob necessitatem, sed ad claritatem demonstrationis.

/21/ 22. 1° Verum est, in omnibus ritibus orientalibus materiam ordinationi esse solam manuum impositionem (xeipotoviav), cum prece adiuncta tamquam forma, de qua inferius dicam; imo videtur nunc plerisque demonstratum ex antiquis libris ritualibus a Menardo,⁶³ Morino,⁶⁴ Martenio⁶⁵ perquisitis, etiam in Ecclesia latina usque ad saeculum x eandem materiam et formam solam obtinuisse. Est ergo sine dubio admodum probabile, eam solam esse essentialem et ex divina institutione sufficientem. Iam vero Benedictus XIV qui a sua iuventute usque ad senectam et senium versatus in SS. Congregationibus sane noverat, quid in illis sentiretur et ageretur, postquam in tota sua luce collocaverat (de Synod. L. vm. c. 10)⁶⁶ argumenta probantia, solam secundam (aut primam et secundam velut unam) manuum impositionem cum adnexa prece esse ritum essentialem pro Ordinibus sacris, nihilominus tandem concludit, se nolle huic sententiae calculum adiacere, et ex sententia etiam S.C. Concilii «*valde incertum esse, an is qui omnes consuetas manuum impositionem acceperat absque instrumentorum porrectione, esset rite ordinatus*» (1. c. n. 11, 12). (1)

(1) Si quaeratur, quomodo possit esse necessarium ad valorem Ordinis in Ecclesia occidentali, quod necessarium non est in ritibus orientalibus,

⁶³ Hugues Ménard, O.S.B. (1585-1644). Auteur de *Nota: et observationes in S. Gregorii Magni Librum Sacramentomm*, dans PL LXXVIII, Turholt 1642, 263-582. Le texte cité se trouve à cols. 491 s.

⁶⁴ Cf. *Commentarius...*, cit., P. m, exercitatio vn, c. 1., n. vm: p. 131.

⁶⁵ Edmond Martène, O.S.B. (1654-1739). Auteur de *De Antiquis Ecclesiae ritibus*, Anvers 1736-1738. Texte cité: L. i., c. vm, a. 9: m, Anvers 1736, p. 23.

⁶⁶ Benoît XIV (Prospera Lambertini), pape (1740-1758). Auteur de *De synode* dioeclesana*. Texte cité: L. 8, c. 10, dans *Opéra omnia*, xi, Prati 1844, pp. 268 ss.

1221 23. 2° Sane si quando constabat, instrumentorum porrectionem cum verbis explicite significantibus potestatem offerendi sacrificium fuisse praetermissam aut non ab ipso Episcopo sed a simplici presbytero peractam, SS. Congregationes tum haecce Suprema tum Concilii decreverunt, non solum (ut Gregorii IX, L. i, tit. 16, cap. 3, *presbyter* dixerat de tactu corporali in prima manuum impositione) «esse caute supplendum, quod per errorem exstitit praetermissum», sed omnino totam ordinationem esse sub conditione reiterandam.⁶⁷ Episcopus Abellinensis Scanagatta⁶⁸ cum chiragra laboraret, in sacris ordi-

nec fuit necessarium primis saeculis in ipso **ritu** latino, theologi graves ad id explicandum assumunt, Christum materiam et formam Ordinis instituisse solum *in specie*, ut sit signum sacrum idoneum ad significandam collationem sacerdotii a se instituti; sed determinationem signi *in individuo* reliquisse potestati Apostolorum et Ecclesiae. Ex hoc principio diversitatem ritus ordinationis saeculis prioribus et posteribus, vel in Ecclesia occidentali et in orientalibus explicandam suscipiunt Innocentius IV⁶⁹ in suis commentariis ad cap. *presbyter* (L. i, tit. 16, c. 3); Bellarminus, de Ord., c. 9;⁷⁰ Arcudius, de Concord., L. vi, c. 4;⁷¹ Gamachaeus, de Ord., c. 4;⁷² de Lugo, de Sacrament. in genere, disp. 2, sect. 5;⁷³ P. Praepositus, de Ord. n. 109;⁷⁴ Ysamberus in 3 P., de Ord., disp. 3., a. 6-7;⁷⁵ Hallierius, de SS. Ordin., de mat. et form., sect. 57, a. 1, c. 2 § 21;⁷⁶ Becanus, 3 P.,

⁶⁷ Cf. CIUC ii, Leipzig 1881², 135.

⁶⁸ Francesco Scanagatta ou Scanegata (f 1700). Évêque d'Avellino (1679-1700). Cf. HC v. 108; M. LE QUËN, *Nullité...*, cit., n, pp. 393; G. M. CAVALIEBI, *Galleria de' Sommi Pontefici, Patriarchi, Artivescovi et Vescovi dell'Ordine dei Predicatori*, u, Benevento 1696, pp. 247-49, avec le texte du décret; Archives CDF, *Décréta*, 1697, f. 236rv.

⁶⁹ Innocent IV (Sinibaldo Fieschi), pape (1243-1254). Auteur de *In quinque libros Decretalium Commentaria*. Texte cité: L. i, tit. 16, c. 3, *Presbyter*: Lyon 1544, fol. 41 b-42 a.

⁷⁰ Dans *Opera omnia*, m, Naples 1857, pp. 770-772.

⁷¹ Cf. *De concordia...*, cit., pp. 504-513.

⁷² Philippe Gamachaeus (1568-1625). Docteur de Sorbonne, auteur de *Summa theologica*, Paris 1627. La référence: *De sacramentis. De sacramento ordinis*, ce. 4,5, *De materia. De forma*, pp. 666-669.

⁷³ Juan De Lugo (1583-1660). Auteur de *Disputationes scholasticae et morales*, Lyon 1652. La référence: *De sacramentis in génère*, Paris 1869, m, 236-38.

⁷⁴ Praepositus: Ioannes Atrebatis, S.J. (1570-1634). Auteur de *Commentaria in tertiam partem S. Thomae*, Douai 1629. La référence: *De ordine*, Dub. x, n. 109, p. 844.

⁷⁵ Nicolas Ysambert ou Isambert (1569-1642). Théologien français, professeur à Paris. Auteur de *Disputationum in tertiam partem S. Thomae*, Paris 1639. La référence: m, pp. 430-434.

⁷⁶ François Hallier: Cf. *supra*, Gordon, note 116. La référence: *De sacris electionibus...*, cit., pp. 89-84.

nationibus non ipsemet sed per Ceremoniarium tradebat instrumenta. Re per Metropolitanum Card. Ursinium qui postea fuit S.P. Benedictus XIII, delata ad hanc S.C. Supremam, discussum est dubium, non iam an sint ordinationes repetendae, id enim videtur suppositum fuisse ut certum, sed solum de modo ordinationis, num absolute an sub conditione sit iteranda. «Feria v die 1 Augusti 1697 proposito iterum et mature discusso dubio, an ordinationes factae per Episcopum Abellini, qui per se ipsum instrumenta seu materiam subdiaconatus, diaconatus, presbyteratus respective non porrexit, sint nullae et invalidae, et an praedicti in Ordinibus sacris ordinati *sint absolute ordinandi vel potius sub conditione tantum*; SS.mus (Innocentis XII) auditis etc. decrevit, in casu de quo agitur, tutius esse, quod sub conditione reiterentur col-

de Ord., c. 26, q. 4.⁷⁷ «Planior conciliandi modus est (inquit de Lugo, n. 98), Ecclesiam latinam retinuisse utique priscum illum ritum ab Apostolis introductum ordinandi sacerdotem per manus impositionem; illa tamen materiam magis explicitam reddidisse adiungendo traditionem panis et vini, quod Graeci non faciunt; ita ut ex manus impositione et traditione panis et vini fiat una integra materia magis explicita, cum forma quae tunc proferatur, explicante potestatem sacrificandi» etc. Sed de his conciliationibus quidquid sentias, saltem non licet ex valore alicuius materiae et formae in ritibus orientalibus inferre certam sufficientiam eiusdem etiam pro Ecclesia occidentali. Sapienter de hac re dissentit Assemanius in suo Voto (seu potius opusculo) pro Feria rv 1^o Iulii 1733, quod inter Acta Coptica Archivii constituit fasciculum XVIII, et a Card. Mai typis editum habetur (Script. W, T. v).⁷⁸ Ibi, cap. 5 § 8, statuit thesim: «Dottrina comune de moderni, che la materia e forma dell'Ordine è stata determinata da Cristo non in individuo, nell'infima specie, ma in generale, e per tanto essere in potere della Chiesa di determinare ed individuare la detta materia e forma senza alterare la sostanza del Sacramento».⁷⁹

⁷⁷ Becanus: Martin Van der Beeck (1563-1624). Jésuite hollandais. Cf. C. SOMMERVOGEL, *Bibliothèque...*, cit., i, 1091-1111. Auteur de *Suttna theologiae schoksticae*, Lyon 1690. La référence: p. 878.

⁷⁸ Angelo Mai (1782-1854). Consulteur du Saint-Office. Secrétaire de la Propagande (1833). Cardinal (1837) du titre de S. Anastasie (1838). Préfet de la Congrégation du Index (1843) et de la Bibliothèque vaticane (1853). Cf. HC VII, 29. Auteur de *Délia nazione dei Copti...*, cit., *supra*, note 54.

⁷⁹ *Votum 'Assemani'*: Archives CDF, *Stanza Storica*, QQ 2 d, f. 333v; QQ 3 m, f. 392i/.

lationes SS. Or/23/dinum» (nempe tutius *sub conditione quant absolute ne periculum incurratur repetitionis sacramenti.*)

Hoc fuit editum decretum septennio ante illam Resolutionem, qua praetenditur anno 1704 a successore Innocentii declaratum esse, sufficere manuum impositionem cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum*, et ad idem decretum Innocentianum ipse auctor illius Resolutionis Consultor Damascenus diserte appellavit, ut superius vidimus (n. 16, in nota). Damascenus aiebat, *rationem suam Resolutionis* reperiri in hoc decreto Innocentii. Atqui id contradictionem involveret evidentem, si ipse voluisset declarare, universim et etiam in Ecclesia occidentali sufficere solam manuum impositionem cum ista forma. Multo vero minus Clemens XI aut S. Congregatio istum sensum potuit admittere paucis annis post decretum Innocentii.

Eundem omnino modum ordinationis quem morbo impeditus tenuit Episcopus Abellinensis, saeculo xvi in Gallia sibi per 36 annos permisit Ludovicus Du Moulinet Episcopus Sagiensis (Seez).⁸⁰ Clemens VIII iussit omnes ordinationes ita peractas repeti sub conditione. Litteras Card. Bubalis, Nuntii in Gallia, datas 4 Iulii 1604 recitat Lequienius (Op. cit., T. H, p. 390): «Sanctitatem Suam tutiorem partem amplectendam déclarasse, reordinationem sub conditione fieri: hos autem Ordines ob non servatam formam in Pontificali Romano praescriptam nullos exstitisse». Eandem repetitionem totius ordinationis sub conditione ob omissam traditionem instrumentorum tempore Benedicti XIV praescripsit S.C. Concilii, ut ipse Benedictus refert loc. cit., n. 13.⁸¹

24. 3° Illis ipsis diebus quibus prodiisse dicitur declaratio pro sufficientia impositionis manuum cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum*, in eadem hac C. Suprema diligentissime examinata est causa ordinationis Anglicanae, idque potissimum ex parte formae; quaestio enim facti utrum consecrator Parkeri fuerit Episcopus, in omnibus fere scriptis exaratis in causa anni 1685 et reassumptis anno 1704 in casu Ioannis Gordon seposita est ut nimiis ambagibus implicita, quemadmodum ex oculis in nostro Archivio asservatis superius ostendi. Prae oculis habebatur latine et anglice forma Anglicana *Accipe Spiritum Sanctum* etc. (ut n. 11. descripsi), collata ea est cum formis rituum orientalium, exa-

⁸⁰ Louis Du Moulinet (t 1601). Évêque de Seez (1564). Cf. HC m, 288. Le cas est exposé par M. LE QUIEN, *Nullité...*, n, pp. 388-393.

⁸¹ Cf. *supra*, note 66.

minata in sua propria significatione. Tandem «Feria v die 17 Aprilis 1704 SS.mus (Clemens XI) auditis etc. decrevit, quod Ioannes Clem. Gordon ex integro et *absolute* ordinetur ad omnes ordines etiam sacros et praecipue presbyteratus». ⁸² Decrevit ergo 17 Aprilis implicite si placet, sed clarissime, ordinationem per manuum imposi/24/tionem cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum* apud Anglos esse invalidam, et nihilominus in Congregatione proxime antecessente die 10 Aprilis decrevisset eandem ordinationem esse validam, si is esset verus sensus praetensae Resolutionis, quem nunc *Ritualistae* ad suos Ordines tuendos contra Catholicos opponunt.

Habemus ergo omnino certum, Resolutionem 10 Aprilis 1704, si supponatur vera eius existentia, non fuisse editam nec posse intelligi hoc sensu, ut forma *Accipe Spiritum Sanctum* cum manuum impositione, dicatur universim et etiam in Ecclesia occidentali ac in schismate ab hac Ecclesia divulso sufficiens ad valorem Ordinis. Verum nunc quaerendum remanet, quisnam sit proprius sensus istius Resolutionis quoad *ordinationes Copticas*, de quibus solis agitur in isto documento anni 1704.

25. II. Status quaestionis quantum ad nos nunc pertinet, a P. Iosepho Hierosolymitano paucis verbis expositus est: «L'Arcivescovo facendosi schierare nella Chiesa gli ordinandi al sacerdozio, nel passare avanti di loro frettolosamente impone a ciascuno le mani sul capo dicendo, *Accipe Spiritum Sanctum...* e perché per la gran moltitudine e confusione e per la fretta nel camminare succède che l'Arcivescovo ad alcuni non impone le mani ed ad altri non proferisce le parole della forma, non pochi ancora sono passati senza l'una e l'altra; perciò si cerca... se siano validamente ordinati». Résolutio est: «Ordinatio presbyteri cum manuum impositione et formae prolatione, prout in dubio, est valida». ⁸³

26. In primis quaero: putavitne auctor huius Resolutionis, totum ordinationis ritum Copticum h. e. Ecclesiae Apostolicae Alexandrinae post Romanam primae ab antiquitate traditum, consistere in isto cursu Episcopi per agmina ordinandorum cum hac sola manuum impositione hisque solis verbis? an censuit, ritum antiquum fuisse post schisma Dioscorianum quo demum cumque tempore mutatum ac corruptum? Evidenter non admisit hoc secundum, sed supposuit ritum antiquum

⁸² Cf. *supra*, Gordon, N. 50.

⁸³ Cf. *infra*, Summarium, Num. m, *Resolutio*.

fuisse saltem quoad sua elementa praecipua conservatum (prout Ecclesia in ritibus orientalibus semper supponit, quamdiu contrarium non probatur), secus non potuisset tanta confidentia pronuntiare, «ordinationem, prout in dubio, esse validam», quin ullam daret huius suae sententiae rationem; nam ratio quam subdit, et quam superius (n. 16, in nota) descripsi, nullius est momenti, et ne pertinet quidem ad hanc Resolutionis partem.

/25/ Sed neque potuit putare, totum ritum antiquum cuius conservationem apud Coptos merito praesumebat, consistere in sola illa cerimonia. Sane S.P. Clemens XI voluit sibi exponi a viris peritis ritum Copticum ordinationis; nec contentus fait perfunctoria dumtaxat descriptione. «Ferie v die 14 Februarii 1704 SS.mus mandavit, per me (Assessorem) exquiri ab eodem P. Iosepho *et ab aliis peritis rituum Abissinorum, qua praesertim forma conferatur Ordines etiam sacri et presbyteratus ab Episcopis schismaticis*».^M Sine dubio igitur huiusmodi inquisito aliqua facta est. Quod quidem etiam apparet ex diversitate Voti prioris pro Feria v 14 Februarii, et posterioris pro Feria v 10 Aprilis. In priori Consultor loquitur hypothetice, ordinationem esse validam, si Copti utantur ritu antiquo ab Ecclesia agnito. «Resolutio: *quatenus Aethiopes Iacobitarum vel alio ritu utantur, in quo eorum sacerdotes seu monachi per manuum impositionem ordinentur, eorum ordinatio est valida*».⁸⁵ In Voto posteriori, quod est ipsum illud praetensum decretum S. Congregationis (ut prostat in Summario n. m), iam absolute idem Consultor ait: «Resolutio: ordinatio presbyteri cum manuum impositione et formae prolatione, prout in dubio, est valida».⁸⁶ Ergo auctor Voti, inquisitione facta a peritis rituum Abissinorum iuxta mandatum Pontificias, compererat, conditionem quam posuerat in priori suo Voto, esse verificatam, Coptos nimirum uti ritu antiquo. Atqui in ritu Coptico i. e. Alexandrino antiquo (quo Coptos adhuc nunc uti, etiam deinceps anno 1733 demonstratum est), illa manuum impositio quae fit super singulos cum verbis *Accipe Spiritum Sanctum*, est ad summum *pars totius materiae et formae*, non autem quoad verba praesertim, de quibus Angli nunc disceptant forma intégra. Ergo (si haec vera sunt, ut verissima esse mox demonstrabo) cuicumque Resolutio adscribatur, sive Consul-

⁸⁴ Cf. le volume *Circa Coptos...*: Archives CDF, *Stanza Storica*, QQ 2 c, fasc. 13, f. 137r.

⁸⁵ Cf. *ibid.*

⁸⁶ Cf. *ibid.*, t. 159v>.

tori sive S. Congregationi (quam hypothesim nunc permisimus), sensus eius non potest esse, illa sola verba *Accipe Spiritum Sanctum*, constituera *totam formant sufficientem*; sed sensus est: ordinationem esse validam, dummodo *secundum ritum antiquum* apud Coptos etiam nunc conservatum applicetur materia et forma, ad quam formam in illo ritu possunt fortasse pertinere ut pars aliqua etiam ista verba, *Accipe Spiritum Sanctum*.

27. Re sane vera ipse P. Iosephus dubium nullum moverat aut S. Congregationi proposuerat de valore ritus ordinationis, quo Copti utuntur. Hunc valorem ipsemet supposuit ut extra controversiam certum, secus eius expositio status quaestionis debuisset esse plane alia; sed dubia eius omnia versabantur /26/ circa validitatem ordinationum *ob negligentiam*, qua Episcopi Copti materiam et formam in ritu suo praescriptam applicare videbantur. Hoc eodem igitur sensu Consultor in sua Resolutione respondit: «ordinatio cum manuum impositione et formae prolatione est valida», dummodo nempe secundum ritum, quem ab antiquitate derivatum habent, materiam et formam applicent; si vero haec applicatio non fit, ut in ordinandis diaconis, quibus non manuum sed crucem imponere dicuntur, vel si applicatio est dubia, etiam ordinatio nulla est vel dubia, quemadmodum auctor in progressu suae Resolutionis respondet.

Fateor tamen, obscuritatem aliquam subesse expositioni et resolutioni, si ea per se consideretur, ita ut in interpretando sensu facile quis labi possit. Dum enim tam P. Iosephus quam Consultor unice solliciti sunt de defectu *ex negligentia* oriundo in una parte ritus, status quaestionis etiam post Pontificii mandatum exquirendi informationes a peritis rituum Abissinorum, adhuc pro Congregatione ultima quae erat Feria v 10 Aprilis, ita expositus est, ut merito dubitari posset, an schismatici Copti ritum antiquum quoad substantiam conservaverint. Unde sapientissimus Pontifex Clemens XI noluit quidquam decidere, ut superius n. 14 seq. satis probatum esse confido.

28. Nunc reliquum est, ut fidem datam solvam ac demonstrem, illam materiam et formam de cuius negligenti applicatione P. Iosephus querebatur, non esse totum ritum quem Copti conservarunt et servant; sed partem ritus totius, eamque non in antiquis eorum Pontificalibus praescriptam, sed (quantum videtur) recentius inventam, et non semper sed solummodo tum observari solitam, cum magna est ordinandorum multitudo.

Morinus (de SS. Ordin. Antverpiae 1695, p. 440 sqq.)⁸⁷ ex Atha-

⁸⁷ Cf. *Commentarius...*, cit., pp. 505 ss.

nasio Kircher,⁸⁸ et accuratius I.S. Assemanius (in Voto seu opusculo superius citato cap. vi inter acta Coptica Archivi S.S.C., fascic. xviii, fol. 338 sqq.) ex duobus codicibus Vaticanis, dederunt nobis Pontificale Copticum continens sacras ordinationes. Ibi ritus non parum prolixus ordinationis Lectoris, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, Episcopi distincte exhibetur. In forma quae cum impositione dexteræ manus Episcopi pronuntiatur, expresse significatur collatio potestatis singulis ordinibus propriae. In forma presbyteratus, de quo nobis potissimum quaestio est, inter alia haec continentur. «Episcopus conversus ad occidentem imponit dexteram suam super caput eius (qui ordinatur) et sic precatur: Dominator Domine Deus,... respice super servum tuum N. qui testimonio eorum, qui eum praesentarunt, *ad presbyteratum* admotus est; *reple eum Spiritu /27/Sancto*, Spiritu gratiae et consilii, ut timeat te, *et regat populum tuum* in corde puro, quemadmodum respexisti populum tuum quem elegisti, et praecepisti Moysi servo tuo, ut sibi eligeret seniores Spiritu Sancto plenos, qui indeficiens est et a te procedit... Concede ei Spiritu sapientiae tuae, ut plenus operationibus *ad sanandum* aptis, sermone *ad docendum* idoneo, populum tuum in mansuetudine doceat... *et opera sacerdotis super populum tuum perficiat*, et qui ad eum accesserint, *eos lavacro regenerationis renovet*... Signat frontem eius pollice suo dicens: vocamus te N. *presbyterum ad sanctum orthodoxorum altare* in nomine P. et F. et Sp. S. Amen».⁸⁹ In hac forma habemus quidem etiam verba *reple eum Spiritu Sancto*, quae aequivalent verbis *Accipe Spiritum Sanctum*, de quibus Angli disceptant; ast illa expresse determinantur ad significationem potestatis sacerdotalis, ut cuiusvis legenti patet.

Eadem habentur in ordinatione diaconorum sed mutatis iis, quae significant collationem determinatae potestatis: «ostende faciem tuam super servum tuum N. qui ad diaconatum praesentatus est, *reple cum Spiritu Sancto*, sicut replevisti Stephanum archidiaconum... constitue eum ministrum altari tuo, *ut ministret secundum beneplacitum tuum in gradu sibi credito*, et sublimiore gradu dignus habeatur» etc.⁹⁰

⁸⁸ Athanasius Kircher, S. J. (f 1680). Cf. C. SOMMERVOGEL, *Bibliothèque...*, cit., rv, 1046-1077. Il s'agit d'une traduction latine d'un texte écrit en copte et en égyptien. Cf. J. MORIN, *Commentarius...*, cit., p. 504.

⁸⁹ *Votum 'Assemani'*: Archives CDF, *Stanza Storica*, QQ 2 d, ff. 351r-353r, QQ 3 m, f. 408t; J. MORIN, *Commentarius...*, cit., p. 507.

⁹⁰ *Votum 'Assemani'*: Archives CDF, *Stanza Storica*, QQ 2 d, f. 347r; QQ 3 m, f. 404r, J. MORIN, *loc. cit.*

29. Post Votum Assemanii Em.mi PP. anno 1733 ordinem diaconatus, quem duo monachi Copti in Aegypto receperant ab Episcopo haeretico, censuerunt esse validum; (1) ac proinde supposuerunt, etiam saeculo xvm ritum antiquum fuisse ob/28/servatum, ut in Pontificali continetur et ab Assemanio est exhibitus. Haec ergo observatio eiusdem antiqui ritus etiam anno 1704 supposita fuisse dici debet in illa Resolutione, in qua dicum est: «Ordinatio presbiteri cum manuum impositione et *formae prolatione*, prout in dubio, est valida».⁹¹ Atqui ex demonstratis ordinatio Coptica ab antiquitate tradita longe aliis et pluribus perficitur quam solis verbis illis indeterminatis *Accipe Spiritum Sanctum*, quae indiscriminatim eodem modo in omnibus ordinibus sacris, quin etiam in sacramento Confirmationis («donum gratiae Spiritus Sancti») dicuntur; imo quae eo modo quo referuntur, ne pertinent quidem ad ritum ordinationis antiquum.

30. Sane cum in Pontificali Coptico nullum sit vestigium impositionis manuum cum verbis istis solitariis, *Accipe Spiritum Sanctum*; haesi equidem diu anceps, quondam illa pertineant. Tandem excutiendo diligenter omnia documenta Coptica reperi, quid rei sit.

In fasciculo xxIII actorum Copticorum continentur multa discussa et décréta ab anno 1793 ad annum 1805 de matrimoniis diaconorum Copticorum, qui in aetate puerili ab Episcopis haereticis ordinali diaconi deinceps conversi sunt ad fidem catholicam. Tum temporis ex Matthaeo Righet (alibi dicitur Righetti)⁹² Praefecto Apostolico pro

(1) «Feria rv die 15 Iulii 1733. Lecto iterum memoriali Antonii del Cairo et Macarii della Tebaide, monachorum professorum S. Antonii nationis et ritus Coptici seu Aegyptiaci Ecclesiae Alexandrinae, die 3 Iunii proximi relato, supplicantium pro dispensatione ab irregularitate, eo quia ante cogitationem s. fidei catholicae ab Episcopo Copto haeretico usque ad s. ordinem diaconatus inclusive promoti fuerint, et in ordinibus receptis ministraverint, ut nunc ad presbyteratum promoveri valeant, cum ad praesens Romae reperiantur in hospitio S. Stephani Maurorum; et audita informatione in scriptis data iuxta decretum editum dicta die 3 Iunii, a R.P.D. Asseman; Em.mi dixerunt, concedi posse petitam dispensationem, si SS.mo placuerit. Eadem die in solita audientia, facta per R.P.D. Assemanum relatione SS.mo, S.S. petitam dispensationem ab irregularitate bénigne concessit».⁹³

⁹¹ Volume *Circa Coptos...*: Archives CDF, *Stanza Storica*, QQ 2 c, fasc. 13, f. 159k.

⁹² Mateo Righet (f 1824?). Évêque de Uthina (1815). Cf. HC vu, 385.

⁹³ Archives CDF, *Décréta S.O.* 1733, f. 189rv.

